

Generoso Heroi, antiqua Nobilitate & Virtute claro,

LEVINO à BVL OVV, Domino in Cziebul, Critzovv

& Radim: Consiliario Ducali & Regio primario &c.

EN tibi Leuine Buloui Heros Inlyte, Naturæ latentis inquisitionem nostram, Virtutis Tuæ meiq; in te amcris & venerationis ergo: dum tot annorum iuuentutis nostræ studiorum & animorum coniunctionem persuauem & intimam, contubernium assiduum, hisq; consimilia mecum recolligo. Quam necessitudinem tute à patria nostra iunior absens, ex Academiis alijs literis tuis sane elegantibus, & tunc temporis, & nuper Regiomonte tantum affectu ut apparet pristino & candido ad me datis, redintegrasti. Quod Grauitatis magnificæ & Splendoris Tui inter Reges & Magnates eximij moderamen insigne ego quidem (vti par est) animo grato agnosco & obseruo: utq; hanc quam Tibi offero Rerum Harmoniam æquo suscipias & diiudices omne etiam atq; etiam obsecro. Neq; mireris quod Paradoxa proferam, cum Veritas ipsa & Rerum Natura non ferant aliter. Que Rebus stipata Natura et si ubiq; nos circumdet, nilq; nisi seipsum nobis seu sibiipsi offerat, quam tamen omnino hucusq; incomprehensa iaceat, res ipsa nullibi non obvia loquitur. Res in Mundo contemplamur, Aerem, Stellas, Terram, Aquam, Lapides, Metalla, Plantas, Animalia &c. in quibus existentia ipsa, structura, motus: que talia sunt, fiunt, excrescunt, mutantur, pereunt quotidie. Hominem, canem, vermem, plantam, lapidem &c. ex rebus iisdem generari, augeri, rursusq; interire seu in alia mutari experimur. Lignum, carta oleum &c. flamma concepta vel subito in aerem transiunt. Corpora grauiora ad terram tanta vi tendunt vix ut contineri queant. Colorum species à rebus prostuere cernimus: Lucem perspicimus: si minus, nigredine obducta omnia. Sonum per aerem & corpora quevis transmitti audimus. Res alias alio modo percipimus. Viuimus. Mouemur. Ratiocinamur &c. Et similes rerum experimur myriades. Vbi si Causas & Naturam quæris, quasi logicam non tacendi rationem animaduertis. Ut interim rariora & que tamen experimentis vera præteream, quæ partim magica nuncupantur, partim alijs donantur titulis. Sed institutum præsens & pagina ipsa finem exposcunt: de doctrinis insignibus cum vere theoricis tum ex theoria practicis, ad priuatum & publicum passim directis commodum, alias tecum si visum tibi fuerit asturus. Sic Buloui magnifice te tuaq; Diuino (quod est omnia) submitto Numini. Anno 1586.
Junij 20. Rostochij.

Generos: Nobilit: Tuam

ex animo colens

MAGNVS PEGELIVS.